



PRÆFATIO

AD VIRVM SVMME INGENIOSVM SVMMEQVE
Eruditum Doctorem I. L.



UAM VIS , quod non invitus fatebor ,
Medici non pauci fusè doctéque , atque
corum etiam nonnulli sanè perquam disertè
Sanguinis quasi panegyrim egerint , dum
quàm nobilis , excellénsque liquor sit , ex-
posuerunt ; híc tamen , veniam ut spero
dabunt , si dubium omnino pronunciem , an
non felicius ipsius laudes celebrárint , quàm
eiusdem nobis naturam detexerint . Licet
enim laudanda sanè hujus in quo vivimus séculi curiositas , varia
ab Antiquis non accepta nos docuerit , quicquid haec tenus humanum
circa sanguinem generatim scitur , mancum adhuc ní fallor , multumq;
est , nititurque observationibus magis , quàm experimentis: generalem
quippe hanc notitiam peperere potius Phænomena quæ ipsa Medicis
natura sponte suppeditavit , quàm experimentata industriè facta ad in-
veniendum id quod ipsa , arte non provocata , nunquam detegit . Non
ed progrediat temeritatis ut asseram solidas Corporis partes con-
templari , fluidas verò , Sanguinem præsertim , proprius non inspicere ,
quemadmodum Anatomici plurimi feceré , non minus absurdum fore
in Medico , quàm si quis de cadi tantùm fabrica sollicitus contentum
intus vinum prorsus negligeret ; at quanquam comparationem
adeo severam instituere nolim , cùm tamen mecum ipse perpendo ,